Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Commentarii C. Julii Caesaris

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

Visual Library

COMMENTARII C. JULII CÆSARIS

[1] per Antonium Zarotum anno MCCCCLXXVII.

Petrus [2] *Justinus Philelphus salutem plurimam dicit Johanni* [3] *Simonetæ Ducali Secretario.*

CUm viderem nonnullos ad id maxime operam suam accomodare, ut alii atquè alii libri quotidie imprimerentur; ne cogitantes illi quidem ullam aut utilitatem aut dignitatem eorum, quæ scripta essent, mihi jure venerunt in mentem, Joannes Simoneta, Commentarii C. Julii Cæsaris, qui ex omnibus latinis in admiratione maximè esse debet. Fuit enìm vir nulla nequè animi, nequè corporis excellentia ex omnibus mortalibus cuique cedens. Eloquentia verò, quantum cæteris hominibus præstiterit, non ex Plutarco solùm, sed ex M. Tullii Ciceronis locupletissimo testimonio satis ac supèr dignosci licet. In ejus autèm Commentariis non solùm magna quædam cognitio rerum ab eo gestarum inest, verùm etiàm dilucidè apparet, quanta fuerit ejus sapientia, quanta clementia, quanta liberalitas, quanta in rebus omnibus moderatio, ut facile dici possit, C. Julium Cæsarem expressum quoddam ac perspicuum speculum extitisse perfectæ cuiusdam totius absolutissimæque virtutis. Ex quibus quidem ejus scriptis præter eloquentiam & dignitatem, quæ maxima est, eam potissimùm utilitatem consequi possumus, quod, quo pacto vivendum sit, & parendo, & imperando edoceamur. Adjieci autèm iis Cæsaris Commentariis illos etiam Commentarios, qui disertissime quoque elucubrati sunt ab A. Hircio, & Oppio. Ad hæc etiàm subjeci alia quædam scripta non mediocriter necessaria ad cognitionem & populorum, & fluminum, & locorum, ac rerum aliarum Transalpinarum diligenter & excogitata & inquisita per gravissimum eruditissimumque virum Raimundum [4] Marlianum qui cum in partibus Transalpinis diù multùmque fuisset, omnia est accuratissimè perscrutatus, quæ ad hujusmodi cognitionem pertinerent. Hæc autem omnia idcircò volui tuo nomine imprimi, quoniam & doctissimus es, & Cæsarii nominis studiosissimus. Vale O & præsidium, & dulce decus meum. Mediolani ex Ædibus meis XV Kalendas Decemb. anno a natali Christiano MCCCCLXXVI.

[1] Deest Editionis locus. At Mediolani peractam fuisse, oppido monet *Saxius* Hist. Lit. Typ. Mediol. p. 192.

[2] *Petrus Iustinus* seu *Augustinus Philelphus* Tholentini ortus ex *Alfina* Francisci Philelphi ex fratre Nicolao nepte; unde proavunculi nomen hausit retinuitque. Præter hos C. J. Cæs. Comentar. aliaque nonnulla recentiorum Scriptorum, T. Livii Decades tres, Juvenalis & Persii Satyras, & Silium Italicum iterum castigatiores elegantioresque imprimi curavit. Nullam verò extare de suo penu depromptam lucubrationem testatur prælaudatus *Saxius* l. c. p. 144. a quo hæc excerpsimus.

[3] De *Joanne Simoneta* Vide infer. ubi de *Gestis Francisci Sfortiæ* ab eodem conscriptis sermo erit.

„ *Raymundus Marlianus* ex equestri nobilissima Mediolanensi familia genitus illustriorem „ se reddidit eximio cultu scientiarum. Captus „ nobili desiderio remotas urbes invisendi Gallias omnes perlustravit fructumque itinerum „ suorum retulit, gloriam scilicet illius operis „ topographici - quod recondita eruditione refertum, seculo subsequente variis in urbibus, „ Parisiis nempe, Francofurti, Venetiis recusum fuit. Reversus in patriam - Senatorio Ordini adscriptus - ob doctrinæ prudentiæque famam a *Carolo Burgundiæ* Duce ad Supremi „ Consiliarii munus amplissimum evocatus Collegium Marlianum Ticinensem ultimis tabulis instituit. " Hæc Saxius l. c. p. 194. Vide „ insuper Cl. V. *Sitonis de Scotia* in Chron. „ Collegii Equit. & Judicum Mediolan.

Landesbibliothek Oldenburg